



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Litterae Regis Ottonis illustris in Romanorum Imperatorem electi ad  
Dominum Papam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

In eundem modum Potestatibus, Consulibus, & populis civitatum Tusciae ad imperium pertinentium.

VVALTERO PATRIARCHA  
Aquelegensi.

Epist. 186.

**G**Ratum gerimus & acceptum quod ad mandatum nostrum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo fideliter adhæsisti, quodque ad mandatum ipsius suscepisti legationem pro ipso in Italia exercendam, cum pro certo credamus quod hujusmodi legationis officium ad honorem & profectum tam Ecclesiae quam imperij tamquam mediator idoneus intendas utiliter exercere. Ut autem id validius exequaris, ecce juxta petitionem tuam scribimus Potestatibus, Consulibus, & populis civitatum Lombardiae ac Tusciae ad imperium pertinentium prout magis vidimus expedire. Super eo verò quod de terra Comitissae Mathildis nobis per latorem praesentium intimasti, hoc tibi duximus respondendum, ut eam ex mandato praedicti Regis repetas nomine nostro, & ad opus Ecclesiae Romanae recipias, si fuerit restituta, cum idem Rex eam nobis recuperare promiserit, sicut apparet ex rescripto litterarum suarum, quarum tenorem praesenti pagina tibi mittimus interclusum; quem per omnia te volumus observare, ne contra promissum ipsius & contra jus nostrum te forte, quod absit, venire contingat. EGO OTTO &c. ut supra epist. LXXXVI. usque Lodoyci. Datum Laterani &c. ut supra.

LITTERAE REGIS OTTONIS  
illustris in Romanorum Imperatorem electi  
ad Dominum Papam.

Epist. 187.

**R**everendo in Christo Patri Domino Innocentio sacrosanctae Romanae Ecclesiae summo Pontifici, Otto Dei ac sui gratia Romanorum Rex & semper Augustus, salutem & debitum filialis dilectionis affectum Nuntij nostri M. Notarius noster & magister Hug. Capellanus noster, quos ad vestram destinaveramus praesentiam, ad nos reversi, nobis intimarunt cum quanta ipsos receperitis alacritate, & quod exaltatio nostra & honoris nostri promotio, quam per eos intellexistis, & gaudium vobis multiplex generavit & de agritudinis molestia, qua tenebamini, personam vestram ad pristinam reduxit sanitatem. Quapropter paternitati vestrae immensas exsolventes gratiarum actiones, scire vos volumus certissimè quod optatos eventus nostros post Deum vobis adscribimus, & omnem gloriam qua divina nos dignata fuerit clementia sublimare cum Romana Ecclesia habere semper cupimus pro indiviso, non immeritò perpendentes quod ipsa nullo unquam in tempore suum nobis subtraxerit auxilium & favorem. Siquidem vestrae sanctitati duximus intimum à quibusdam veridica nos accepisse relatione quod filius Imperatoris Henrici damnus & malus nobis velit, & ut nostram & imperij turbare valeat quietem, idem quoscunque potest & precibus & promissis ad hoc inducit & hortatur. Unde cum imperij tranquillitas & regiae eminentiae finalis promotio à vestra adhuc, sicut hactenus, prudentia pendere videatur, apostolatus vestri aequitatem omni precum instantia rogamus & monemus, supplicantes vobis quatenus praefato puero consilium & auxilium vestrum ad sua contra nos subtrahatis negotia, & ea quae sibi ad praesens expedire possint, sicut de vobis confidimus, nullatenus faciatis, sicut nobis & vobis utile erit, usque dum Deo auxiliante nos ad partes Italiae & ad vos veniamus, personaliter vobiscum collocuturi. Sicut enim hucusque in negotiis imperij per omnia vestris obtemperavimus consiliis & mandatis, sic quoque deinceps quaecunque jusseritis non recusabimus; & si Deus ali-

quando optate praesentiae vestrae copiam nobis dederit, nos juxta consilium vestrum pro communi commodo & pace Ecclesiae cum saepesato puero ad honorem imperij & ipsius componere curabimus utilitatem. Cetera praesentium lator dilectus filius familiaris Notarius noster magister H. cujus dictis fidem adhibeatis indubitamam.

ILLVSTRI REGI OTTONI  
in Romanorum Imperatorem electo.

Epist. 188.

**C**um carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliae Rex illustris tam ex paterna quam materna dispositione finali sit apostolicae curae ac tutelae relictus, ipseque totum regnum Siciliae à Romana teneat & recognoscit Ecclesia, sicut idem nobis, tamquam vassallus domino, ratione fidelitatis debet astringi, sic nos eidem, tamquam dominus vassallo, ratione legalitatis debemus adesse. Unde super iis quae ad regnum ipsius pertinere noscuntur nec volumus nec debemus ei nostrum subtrahere auxilium vel favorem, cum secundum Apostolum omnibus simus in justitia debitores. Porro nec ipsi nec alij nostrum contra te disposuimus favorem vel auxilium impertiri, quem tantopere studuimus promovere; cum pro certo speremus quod, sicut per tuas nobis litteras intimasti, tuos optatos eventus post Deum nobis adscribas, & omnem gloriam qua te divina dignata fuerit clementia sublimare cum Romana velis Ecclesia pro indiviso semper habere, absque dubio recognoscens quod deficientibus ceteris, ipsa tibi nunquam subtraxerit, sed suum semper intenderit auxilium & favorem. Receptis igitur & intellectis apicibus quos per dilectum filium latorem praesentium regalis nobis sublimitas destinavit, hoc tibi duximus rescribendum, quod de plenitudine gratiae nostrae securus, de qua nec debuisti nec debes aliquatenus dubitare, tuam secundum Deum exerceas potestatem; cum quo si corde puro rectè processeris, ipse in viam salutis & pacis diriget gressus tuos. Datum Laterani v. l. Idus Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

SACRAMENTVM FIDEI AB  
Ottone exhibitum.

Epist. 189.

**I**N nomine sanctae & individuae trinitatis. Otto quartus divina favente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Recognoscens ab eo nostrae promotionis donum misericorditer processisse à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, ipsum ejusque vicarium & sponfam ejus sanctam Ecclesiam disposuimus & decrevimus magnificè honorare; ut qui nobis in praesenti temporale contulit regnum, in futuro quoque tribuat sempiternum. Proinde vobis, reverendissime Pater & Domine summe Pontifex Innocenti, quos pro multis beneficiis nobis impensis sincerissimo veneramus affectu, vestrisque catholicis successoribus & Ecclesiae Romanae omnem obedientiam, honorificentiam, & reverentiam semper humiliter corde ac devoto spiritu impendimus quam praedecessores nostri Reges & Imperatores catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur; nihil ex iis volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra devotio clarius enitescat. Illud igitur abolere volentes ab usum quem interdum quidam praedecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus Praelatorum, concedimus & sancimus ut electiones Praelatorum liberè ac canonicè fiant, quatenus ille praeficiatur Ecclesiae viduarum quem totum capitulum vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obstat de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis & causis ecclesiasticis ad apostolicam sedem liberè